

extranei; et quia adulterium inter delicta publica numeratur l. 1, ff. de Public. Judic. et § Item lex. 4, Institut. eod. dummodo extraneus mas sit et major 25 annis, cit. l. Si maritus, 15, § Lex Julia ff. ad Leg. Jul. de adult. 28. Civiliter quoad dotem et divortium uxor etiam accusare potest virum adulterum; non item criminaliter, loquendo de jure civili.— Resp. IV. Quamvis explorati juris et certa sententia sit, quod etiam uxor adulterium viri accusare possit civiliter in ordine ad divortium, et acquirendam donationem propter nuptias, etc., tamen de jure civili virum de adulterio criminaliter accusare non valet, sive cum soluta, sive cum conjugata rem habeat carnalem l. 1, c. ad Leg. Jul. et adult. et ibi Glossa, § Violatio. Sanch., de Matrim., lib. X, disp. 8, n. 33. Covarr., de Sponsal., p. 2, cap. vii, § 6, n. 5. Pirhing, h. t. n. 6, et alii. Ratio est, tum quia uxor marito tanquam capiti majorem debet reverentiam et honorem, quam maritus uxori; tum quia adulterium uxoris ob incertitudinem aut suppositionem prolis semper majus est, et gravius punitur de jure civili, quam adulterium viri.

29. Secus est de jure canonico.—Dicitur autem notanter de jure civili, quia de jure canonico etiam criminaliter accusare potest uxor maritum adulterum, can. penult. et ultim. cau. 32, q. 5. Glossa communiter recepta in can. Si quis, 4, cau. 32, q. 1, ubi § Imperia, ait: Similiter ad imperia non judicantur quoad debitum reddendum, quoad divortium, quoad accusationem. Quam juris dispositionem amplexus est Carolus V, in Constitut. pœnali, art. 120 etiam uxori accusationem viri adulterii expresse admittens.

30. Quamvis de criminibus requiratur plena probatio tamen in adulterio sufficit habita probatio per præsumptiones.— Quæritur IV. Qualis requiratur? et sufficiat probatio ad condemnandum reum adulterii? Resp. I. Quamvis alias in criminibus ad condemnandum reum requiratur, ut si vel confessus, vel per probationes luce meridiana clariores convictus, can. Judex, 2, cau. 2, q. 1, ibi: Judex criminis discutiens, non ante sententiam proferat capitalem, quam aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes testes convincatur, concordat can. Multi, 18, § Nos vero, ead. cau. et q. et l. fin. c. de Probationib. ibi: Sciant cuncti accusatores, eam rem se deferre in publicam nationem

debere, quæ munita sit idoneis testibus, ve instructa apertissimis documentis, vel indiis ad probationem indubitatis, et luce clariores expedita; tamen in adulterio tanta probatio non est necessaria, sed sufficit et requiritur talis probatio, quæ contra reum facit suspicionem, vel præsumptionem non qualemcunque, sed violentam et vehementissime urgentem, Sanchez, lib. X, disp. 12, n. 41 et 42. Mascardus, de Probat. Concl. 57, n. 3. Menochius, de Præsumpt. lib. I, Præsumpt. 58, n. 3. Sylvester, de Adulterium, n. 9, et alii communiter, arg. c. Maritus, h. t. Ratio est, quia cum adulterium in occulto, remotis arbitris, et testibus, ita caute fieri solet, ut per testes documenta plene probari nequeat, necessario haberi, et admitti debent alia probationis media, ne grande hoc crimen, quod satis frequenter committitur, maneat impunitum, quæ alia esse non possunt, quam præsumptiones et conjecturæ, per quas proin, sicut alia delicta, difficilis probationis, ita etiam adulterium sufficienter probatur c. 2, et c. Litteris, 12, de Præsumpt.

31. Violentas.—Non sufficit autem quæcunque suspicio aut præsumptio, sed juxta jam dicta debet esse violenta, et talis, quæ reddat certitudinem moralem, ex qua vir prudens vehementer urgeatur ad judicandum adulterium a reo esse perpetratum, Glossa, in c. Maritus, 4, h. t., § Suspicionem, et doctores citati: hujusmodi præsumptiones violentas plures enumerat Mascardus, de Probation. Concl. 5, et seq. Sanchez, lib. X, de Matrim., disp. 12, n. 41. Menochius, de Præsumpt., lib. V. Præsumpt. 41; inter has etiam sunt sequentes.

32. Enumerantur similes præsumptiones violentæ.—Prima est, quam refert Alexander, c. Litteris, 12, de Præsumpt., videlicet, si quis solus nudus cum nuda in eodem lecto deprehendatur, adulterii reus præsimitur.

33. Secunda est, si quis de adulterio accusati se defendunt prætextu consanguinitatis inter eos vigentis, et tamen postea alterius conjuge mortuo matrimonium inter se contrahunt. Contra hos siquidem violenta est præsumptio juris, et de jure, quod prius accusatum commiserint adulterium, l. Si qui, 34, C. ad Leg. Jul., de Adulter., potestque vi hujus præsumptionis etiam ultimum supplicium inferri. Menochius, de Præsumpt., lib. V. Præsumpt. 41, num. 7 et 8. Speculator, de Præsumpt., § 2, num. 4.

34. Tertia. De adulterio si quis suspectus a marito coram tribus testibus fide dignis, in scriptis ter fuit denunciatus, ne cum uxore talis mariti amplius conversationem habeat, et tam postea adhuc cum ea in loco ad adulterium apto deprehendatur, adulterii reus præsimitur, Authen. Si quis ei. C. ad Leg. Jul. de Adulter.

35. Quarta. Ex ipsa rei natura datur, si absente viro uxor imprægnata invenitur. Omnes.

36. Ulterius adulterium præsimitur, si uxor inscio, et invito viro clam accedat ad domum viri suspecti, ibique pernoctet: Item quando domus mulieris diu noctuque ab adolescentibus præsertim scholasticis frequentatur; item si reperiantur litteræ amatoriæ concubitum confitentes: vel si quis de adulterio commisso extrajudicialiter se jactet.

37. Verum licet istæ in num. præced. recensitæ præsumptiones magnæ sint, tamen sine aliis adminiculis ad infligendam pœnam ordinariam sufficere non videntur, bene tamen ad extraordinariam. Menochius, loc. cit. Præsumpt. 41, num. 21 et seqq. Wesenbec, in ff. ad Leg. Jul. de Adult., n. 17. Brunneman, in cit. Authent., n. 3.

38. Porro licet confessio judicialis plene probet contra confitentem c. Intelleximus, 6, h. t., tamen non plene probat contra complicem reum; quia confessio unius non vincit complicem, c. Nesciens, de Testib. et c. 1, de Confess.

39. Quando contra adulterium agitur civiliter ad divortium seu separationem quoad cohabitationem et thorum, solus ecclesiasticus est judex.— Quæritur, quis sit judex in causa adulterii? Resp. I. Quando de adulterio agitur civiliter ad divortium, et separationem quoad thorum, et cohabitationem conjugum, solus ecclesiasticus, legitimus judex est. Communis et certa, communique praxi comprobata. Clarus, § fin., q. 37, n. 3. Covarruvias, p. 2, de Sponsa, lib. cap. vii, n. 8. Sanchez, lib. X, disp. 8, n. 15, arg. c. 1. Ut lite non contestata, c. Porro, 3, et c. Significasti, 4, de Divortiis, juncto c. Tuæ, 5, § Si vero, de Procurator. Ratio est, quia cum matrimonium sit unum ex septem sacramentis, et res vere spiritualis, de obligatione inde orta quoad thorum et cohabitationem solius judicis ecclesiastici est cognoscere, c. Decernimus, 2, de Judiciis, c. Tuam, 3, de Ordine cogniti., cum Concordantiis.

40. Qui etiam de causa dotis, et donationis propter nuptias, atque alimentorum, si in causam adulterii principaliter agitatam incidit, judicare potest.— Si coram giudice ecclesiastico contra adulterium ex causa divortii agitur, potest etiam is cognoscere de incidente causa dotis, donationis propter nuptias, et alimentorum. Sanchez cit., lib. X, disp. 8, n. 15. Alexander de Novo, in c. Plerumque, 2, de Donation. inter virum et mulier., ubi pro conclusione expresse decisum habetur. Ratio est, quia quando legitimus judex agit de causa principali, agere etiam potest de accessorio, et causa in principalem incidente, etsi alias respectu hujus judex competens non sit, l. Quoties, 3, C. de Judic. et l. 1, C. de Ordin. cognit., juncto cit. c. de Prudentia, 3, de Donation. inter virum et mulier. Dummodo judex jurisdictionis, quam causa seu materia incidens exigit, incapax non sit; uti respectu causæ spiritualis incapax est laicus, quæ proin ad judicem ecclesiasticum remitti debet, quando incidit in causam principalem coram laico agitatam, c. Tuam, 3, de Ordine cogniti.

41. Si contra adulterium agitur criminaliter ad pœnam sanguinis, solus laicus judex est.— Resp. II. Si de adulterio agatur criminaliter ad pœnam sanguinis, solus laicus, non item ecclesiasticus, judex legitimus est. Omnes. Ratio est, quia judex ecclesiasticus causam sanguinis tractare, et de ea sententiam condemnatoriam ferre non potest, textu expresso c. Clericis, 5, et c. penult. Ne clerici, vel monachi.

42. Si ad aliquam pœnam criminaliter agitur mixti fori est. Episcopus circa cuncta scelera judex est.— Resp. III. Quando de adulterio agitur criminaliter quidem, et ad vindictam publicam, non tamen ad pœnam sanguinis, sed ad aliam ea mitiorem, mixti fori est, ita ut tam ecclesiasticus, quam laicus, judex esse possit, deturque locus præventioni. Sanchez, loc. cit., n. 16. Abbas, in c. Tuæ, 2, de Procurat., n. 6, et ibi Imola, n. 10. Clarus, § fin., q. 37, n. 3. Pirhing, h. t., n. 10. Et quidem de giudice ecclesiastico textus expressus habetur c. de Offic. Jud. Ordin., ibi: «Habeant igitur episcopi singularium urbium in suis diocesis liberam potestatem adulteria, et scelera inquirere, ulcisci, et judicare.» De laico autem patet ex cit. c. Tuæ, 2, de Procuratorib. De utroque autem c. Cum sit, 8, de Foro competente., ubi in sacrilegos utriusque tam laico,

quam ecclesiastico datur jurisdictio: adulterium autem utpote injuriam inferens sacramento sacrilegium est, et dicitur, l. *Quamvis*, 30, in fine, C. ad Leg. Jul. de Adulter.

§ II.

DE STUPRO.

43. *Stuprum aliud est improprie.* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit stuprum? Ante responsionem notandum, stuprum late et improprie sumptum, esse et dici omnem illicitam copulam, seu concubitus, sive cum masculo, sive cum femina, sive cum virgine, sive cum vidua, sive cum soluta, sive conjugata, l. *Stuprum*, ff. Ad. Leg. Jul. de Adult. l. *Stuprum*, 101, prin. ff. de Verb. sign. Item lex. 4. Institut. de public. judic. Verum in hoc sensu non agimus hic de stupro, sed de illo proprie tali. Hinc:

44. *Aliud proprie tale.* — Resp. I. Stuprum proprie et stricte acceptum, est virginis nondum corruptæ illicita defloratio seu corruptio. Ita in re communis arg. can. *Lex illa*, 2, § Cum ergo, cau. 36, q. 1.

45. *Aliud violentum, aliud voluntarium.* — Resp. II. Stuprum proprium acceptum aliud est violentum, aliud non violentum. Illud est, quo virgo invita per vim opprimitur et defloratur; quod propriissime stuprum est. Illud vero est, quo virgo volens, aut consentiens illicite defloratur; idque dupliciter, ita ut vel plene libere ad illud consentiat, vel per dolum et fraudem, aut metum injuste incussum ad illud inducatur.

46. *Stuprum violentum, sicut e dolo, aut metu injusto obtentum, etiam justitiæ adversatur.* — Stuprum violentum, sicut et illud, quod per dolum et fraudem, vel metum injuste incussum, illatum est, præter malitiam castitati contrariam, continet etiam malitiam injustitiæ, in confessione specialiter exprimendam. Illud vero, quod virgini sine dolo et fraude, aut injusto metu, libere consentienti infertur, soli castitati, non idem justitiæ adversatur, adeoque unicum tantum simplex peccatum continet, prout cum Lessio, lib. II, de I, et I, cap. x, dub. 1. Sanchez, lib. VII, de Matrim., disp. 14, a n. 5, communiter tenent, et deducunt theologi, apud quos vide.

47. *Pœna stupri non violenti.* — Quæritur II. Quas pœnas tam de jure civili, quam canonico inducat stuprum? Resp. I. Si quis vilio-

ris conditionis existens, stuprum sine vi committit, fustigatione una cum relegatione; stuprator vero melioris conditionis existens publicatione dimidiæ partis honorum punitur, § *Item lex*, 4, §. *Pœnam*, Institut. de public. judic.

48. *Pœna stupri violenti.* — Stuprum autem violentum non tantum virginis, sed etiam honestæ viduæ, aut maritatæ, pœna capitis plectitur Clarus, § *Stuprum*, n. 3, ad finem. Farinacius, *Prax. criminal.*, q. 147, n. 6. Glossa, in c. 2, h. t., §. *Plectendus*, et ibi Abbas, n. 5, l. 1, fin. ff. de Extraordi. crimin. et constitut. criminal. Caroli V, art. 119, ubi stuprator violentus pœnæ capitis subicitur, si stuprata fuerit ein unverleimböte Ehe Frau, Wittib, oder Jungfrau, id est, bonæ famæ conjugata, vel vidua, vel virgo.

49. Ex quo nonnulli inferunt, pœnæ mortis non subjacere, qui meretricem opprimit.

50. *Vi stuprata nec pœnam, nec maculam contrahit.* — Porro per vim stuprum passa nec pœnam, nec ullam infamiæ maculam incurrit, l. *Si uxor*, 13, § *Si quis*, 7, ff. Ad Leg. Jul. de Adult. et l. *Fœdissimam*, 20, C. eod.

51. *Pœna stupri jure canonico determinata. Remissive.* — Resp. II. De jure canonico pœna stupratoris laici est, quod debeat dotare, vel ducere stupratam, et alimentare prolem inde secutam: ubi tamen differentia est de stupratore cum et sine promissione matrimonii, prout de hac stupratoris pœna jure canonico statuta late diximus lib. IV, tit. I, § IV, a n. 70, ubi vide, ne fiat superflua repetitio.

52. *Pœna clerici stuprum committentis.* — Resp. III. Clericus stuprator præter dotationem, c. 1 et 2, h. t., debitam, jubetur deponi, Clarus, §. *Adulterium*, n. 3. Abbas, in c. 1, h. t., n. 4, et in c. *Ac si clerici*, 4, de Judic., num. 35. Farinac., *Prax. criminal.*, q. 147, n. 62. Pirhing, h. t., n. 43, et teste Claro communis omnium, arg. can. *Presbyter, aut Diaconus*, 12, et can. *Si quis episcopus*, 13, dist. 81, cum Concordantiis. Menochius tamen, de Arbitr. judic. casu, 288, n. 6. Farinac., loc. cit., n. 65. Vallensis, h. t., § 2, n. 2, et alii putant, pœnam stupratori clerico esse arbitrio judicis imponendam, ita ut quandoque pœna pecuniaria, vel carceris, quandoque pœna suspensionis, depositionis, vel privationis beneficii puniri possit, prout circumstantiæ personarum, et delicti suaserint; ita tamen, ut semper etiam

§ III. DE ALIIS VITIIS CARNIS, FORNICATIONE VIDELICET, ETC.

præstetur dos puellæ vitiatæ. Concordant ea, quæ diximus lib. III, tit. II, de Cohabitat. cleric. et mulier., a n. 48, quæ omnino vide.

53. *Præsertim violentum.* — Quod si clericus per vim stuprat virginem, præter præfatas pœnas etiam ad carceres perpetuos, qui succedunt pœnæ mortis, contra laicos violentos stupratores jure civili statutæ, condemnari potest. (ADNOTATIO XXVI.)

§ III.

DE ALIIS VITIIS CARNIS, FORNICATIONE VIDELICET, CONCUBINATU, INCESTU, SACRILEGIO CARNALI, ET SODOMIA.

54. *Fornicatio improprie et proprie talis, quid?* — Quæritur I. Quid, quotuplex, et quantæ malitiæ sit fornicatio? Ante responsionem nota, hic non esse sermonem de fornicatione late, et improprie tali, in quo sensu quis illicitus concubitus carnalis dicitur etiam fornicatio, sed de fornicatione proprie dicta: in quo sensu ad quæstionem. Resp. I. Fornicatio est copula carnalis soluti cum soluta jam prius deflorata seu corrupta. Ita in re communis, et certa, arg. can. *Lex illa*, 2, cau. 36, q. 1, ibi: «Fornicatio autem licet videatur esse cujuslibet illiciti coitus, etc., tamen specialiter in usu viduarum, vel meretricum vel concubinarum.» Hinc per verba jam prius deflorata differt a stupro proprie dicto.

55. *Est coitus cum soluta ab omni vinculo.* — Intelligentur autem per solutum, et solutam illi, qui non tantum a vinculo matrimonii, sed etiam consanguinitatis, affinitatis, ordinis, religionis, voti, et alterius impedimenti matrimonialis sunt liberi, ita ut absque dispensatione matrimonium inire possent. Farinacius, *Praxi criminal.* q. 137, n. 7; Menochius, de Arbitr. judic. casu 289, n. 1 et 2; Sylvester, §. *Luxuria*, q. 1.

56. *Est gravissimum peccatum etiam contra naturam.* — Cæterum quod fornicatio gravissimum sit peccatum mortale definitum habetur in concilio Viennensi Clement. ad nostrum 3, de Hæretic. ubi tanquam erronea damnatur sequens propositio: «Actus carnalis, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non est, maxime cum tentatur exercens.» Et quidem dictam fornicationem non tantum contra jus divinum, et humanum positivum, sed etiam contra jus naturale esse, torrens defendit theologorum,

contra nonnullos volentes, eam tantum esse contra jus divinum positivum, non item naturale, quorum tamen doctrina damnata est ab Innocentio XI in sequenti propositione: «Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.» Vide de hoc amplius apud theologos.

57. *Pœna fornicationis laici.* — Quæritur II. Quæ sint pœnæ fornicationis? Resp. I. Quamvis olim de jure civili a pœna immunis fuerit simplex fornicatio, l. *Si uxor*, 13, § 2, ad Leg. Jul. de Adulter. et l. *Quæ adulterium*, 29, c. eod. tamen de jure canonico laici fornicatores puniuntur arbitrio judicis. Quod idem etiam hodie fit in foro civili pro diversitate personarum, delictorum praxi, consuetudine, et particularibus statutis locorum.

58. *Pœnæ clericorum fornicantium, inter quas etiam est privatio beneficii.* — Resp. II. Pœna clerici fornicantis variæ sunt, inter quas pro arbitrio suo aliquem assumere, et etiam ad privationem beneficii propter unam simplicem fornicationem procedere potest judex ecclesiasticus, præsertim si delictum notorium et scandalosum est, prout amplius diximus et probavimus lib. III, tit. II, a n. 48, ubi vide.

59. *Solvitur objectio ex concilio Tridentino diversitas pœnarum a jure statuta dat optionem episcopo.* — Nec obstat concilium Tridentinum, sess. 25, de Reform. cap. XIV ubi bina, vel trina monitio requiri videtur, antequam ad privationem beneficii deveniantur. Respondetur enim, præfatam repetitam monitionem præviam ibidem requiri, antequam quis privetur beneficio, ex eo, quod suspectam mulierem monitus dimittere nolit. Non item si de lapsu carnali seu fornicatione actualiter præsertim vero notorie jam reus invenitur. Tunc enim monitio prævia necessaria non est, quamvis pro arbitrio judicis præmitti possit ante privationem beneficii; quia ubi non amplius sola suspicio est, sed jam constat de fornicatione, concilium Tridentinum ad sacros canones se remittere videtur; qui cum inter diversas pœnas fornicationis etiam privationem beneficii ponat, hanc quoque arbitrio suo eligere potest judex; quia diversitas pœnarum a jure statutarum dat optionem episcopo c. *De causis*, 4, de Offic. delegat. juncta Glossa, §. *Certa*; Abbas, in c. *At si clerici*, de Judic.